

1003.

Illustri Præsidi  
DD. ABR. BÆCK

S. pl. d.  
Car. Linnæus.

Amicissimas Tuas hodie habui; pro quibus gratissimam rependo mentem.

Cum 3bus deputatis a salutandum novum Cancellarium Illustriss. D. v. Höpken Holmiam proficiscar v. D. die veneris aut saturni, quamvis invitus, qui non tam facile Holmiam vestram petam.

Spero Te me visurum, si liceat, dum tota aula morbo laboret. Nullus tamen dubito quin unicam mihi concedas horulam, in quam responsiones ad reliqua differo. vale.

Upsaliæ d. 18 Martii 1760.

Utanskrift och sigill som på bref. 928.

1004.

Viro amplissimo et illustri  
DD. ABR. BÆCK

S. pl. d.  
Car. Linnæus.

Devotissimas reddo pro præstitis mihi amicitiae infucatae documentis Holmiæ, dum ultimo Te salutabam. Doleo tantummodo, quod oblitus sum Tecum loqui de Martino<sup>1</sup> nostro, qui vivit in summa pauperie, in urbe Bergen Norvegiæ, ubi ne obolum possidet. Procuravit ipsi Episcopus Aboensis DD. Menander<sup>2</sup> stipendium Ekenstubbianum, sed tamen nullos inde potest reportare fructus, cum nulla se offerat occasio transmittendi pecunias. Scripsi et oravi D. Wargentin, quod Academia scientiarum aliquot ipsi prænumeraret pecunias; at rescripsit nullum esse Holmiæ, qui commercium coleret cum Bergensibus, adeoque non posse mittere